

sequimur, ut ad alia sacramenta percipienda reddamur idonei, et eo præterea fidelis populus a gentibus, quæ fidem non colunt, distinguantur.

In confirmatione. — In ordine.

Idem autem in charactere confirmationis et sacri ordinis licet cognoscere; quorum altero veluti Christi milites ad ejus nominis publicam confessionem et propugnationem, ac contra insitum nobis hostem, et spiritualia nequitia in celestibus armamur atque instruimur, simulque ab iis qui nuper baptizati, tanquam modo geniti infantes sunt, discernimur; alter vero tum potestatem sacramenta conficiendi et ministrandi conjunctam habet, tum eorum qui ejusmodi potestate prædicti sunt, a reliquo fidelium cœtu distinctionem ostendit. Tenenda igitur est catholica Ecclesiæ regula, qua docemur tria haec sacramenta characterem imprimere, neque ullo unquam tempore iteranda esse.

*Ad cultum et usum sacramentorum quibus
motivis fidetes excitandi.*

XXXII. Hæc sunt, quæ generatim de sacramentis tradenda erant: in cujus argumenti explicatione, pastores duo potissimum efficere omni studio conentur. Primum est, ut fideles intelligent, quanto honore, et cultu, et veneratione hæc divina et cœlestia munera digna sint; alterum vero, ut quoniam a clementissimo Deo ad communem omnium salutem proposita sunt, iis pie et religiose utantur, atque ita christianæ perfectionis desiderio exardescant, ut si penitentia, præsertim et Eucharistiæ saluberrimo usu aliquandiu careant, plurimum damni se fecisse existiment. Hac autem facile pastores assequi poterunt, si quæ de sacramentorum divinitate et

fructu supra dicta sunt, auribus fidelium sèpius inculcabunt: primum a Domino Salvatore nostro, a quo nihil nisi perfectissimum proficiunt potest, instituta esse: præterea, cum ministrantur, Spiritus sancti intima cordis nostri permeantis efficiacissimum numen presto esse: deinde admirabili et certa curandorum animarum virtute prædicta esse: tum per ea immensas illius Dominicæ passionis divitias ad nos derivari. Postremo vero ostendit, totum christianum edificium firmissimo quidem lapidis angularis fundamento inniti; verum nisi verbi Dei prædicatione et sacramentorum usu undique fulciatur, magnopere verendum esse, ne magna ex parte labefactum concidat: ut enim per sacramenta in vitam suspicimus, ita hoc veluti pabulo alimur, conservamur, augemur.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

*De baptismi sacramento quam frequens sermo
habendus.*

I. Ex iis quidem, quæ hactenus de sacramentis universe tradita sunt, cognosci potest quam necessarium sit ad christianæ religionis vel doctrinam percipiendam, vel pietatem exercendam ea intelligere, quæ de illorum singulis credenda catholica Ecclesia proponit: sed si quis diligentius Apostolum legerit, sine dubitatione ita statuet, perfectam baptismi cognitionem a fidelibus magnopere requiri. Adeo non solum frequenter, sed gravibus verbis et Spiritu Dei plenis ejus mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri (a) mortem, sepulturam et resurrectionem nobis ante oculos tum

(a) Rom. 6, 5 et d. Coloss. 2, 12, 15.

ad contemplandum, tum ad imitandum constituit. Quare pastores nunquam se satis multam operam et studium in hujus sacramenti tractatione collocaſſe abirent: verum prater eos dies, in quibus more majorum divina baptismi mysteria potissimum explananda essent, in sabbato magno Paschæ et Pentecostes; quo tempore Ecclesia summa cum religione, maximisque ceremoniis hoc sacramentum celebrare conueverat, aliis etiam diebus occasionem captent de hoc argumento disserendi. *De hoc usu antiquo vide Tertius lib. de Bapt., c. 49. Basil. in Echor. ad bapt. Ambr., lib. de Myst. Paschæ.*

In administrando de baptismo singulare explicare quam uile.

II. Atque illud in primis tempus maxime opportunum ad eam rem videri poterit, si interdum, cum baptismus alicui ministrandus sit, fidelis populi multitudinem convenisse animadverterint: tunc enim facilius multo erit, si minus liceat omnia capita, qua ad hoc sacramentum attinent, persequi; unum saltem, aut alterum docere, cum fideles earum rerum doctrinam, quam auribus percipiunt, simul etiam sacris baptismi ceremoniis expressam vident, pioque et attento animo contemplantur. Ex quo deinde fieri, ut unusquisque, iis rebus admonitus, qua in alio geri videat, secum recordetur, qua se sponsione Deo obligaverit, cum baptismo initiatus est, simulque illud cogitet, an vita et moribus talem se prebeat, qualiter ipsa christiani nominis professio pollicetur.

Nomen baptismus quid significet.

III. Ut igitur, quæ docenda erunt, dilucide, explicantur, quænam sit baptismi natura et sub-

stantia, aperiendū est, si prius tamen ipsius vocis significatio explicetur. Ac baptismus quidem Græcum esse nomen nemo ignorat; quod etsi in sacris Litteris non solum eam ablutionem, quæ cum sacramento conjuncta est, sed etiam *(a)* omne ablutionis genus, quod aliquando ad passionem translatum est significat; tamen apud Ecclesiæ scriptores non quamvis corporis ablutionem declarat, sed eam quæ cum sacramento conjungitur, nec sine prescripta verborum forma ministratur; qua quidem significatione Apostoli *(b)* ex Christi Domini instituto frequentissime usi sunt. *Octo baptismi generaverunt apud Damasc., lib. 4, de Fide orthod. 10.*

Sacramentum baptismi quibus aliis nominibus appellatur.

IV. Alia quoque nomina ad eamdem rem significandam sancti Patres usurparunt. *Sacramentum* enim *fidei* appellari, quod illud suscipientes universam christianam religionis fidem profiteantur, divus Augustinus *(c)* testatur. Alii vero, quia fide corda illuminantur, quam in baptismo profitemur, hoc sacramentum *illuminationem* vocarunt. Nam et Apostolus ita inquit: *(d)* Rememorami pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum; tempus nimis quo baptizati erant, significans. *(e)* Chrysostomus præterea in oratione quam ad baptizandos habuit, tum *expurgationem*, qua per baptismum *(f)* expurgamus vetus fermentum, ut simus nova conspersio, tum *sepulturam*, tum *plantationem*, tum *crucem Christi* nominat; quarum omnium appelle-

(a) Marc. 7, 4. — (b) Rom. 6, 5 et d. 1 Pet. 5, 21.

(c) D. Aug. Epist. 24 in fin. — (d) Heb. 10, 52. — (e) S.

Chrys. 10, 5. — (f) 1 Cor. 5, 7.

lationum causam ex Epistola ad Romanos (a) scripta licet colligere. Cur autem divus Dionysius (b) principium sanctissimorum mandatorum vocaverit, perspicuum est cum hoc sacramentum veluti janua sit, qua in christiane vite societatem ingredimur atque ab eo divinis praeceptis obtemperandi initium facimus. Atque haec de nomine breviter exponenda erunt. De variis baptis noni-nib. vide Gregor. Nazianz. Orat. in sancta lumina, et Clem. Alex. lib. 1 Pædag. c. 6.

Baptismi definitio traditur.

V. Quod autem ad rei definitionem attinet, etsi multe ex sacris scriptoribus afferri possunt, illa tamen aptior et commodior esse videtur, quam ex verbis Domini apud Joannem, et Apostoli ad Ephesios licet intelligere; nam cum Salvator dicat: (c) Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei: et Apostolus, cum de Ecclesia loqueretur: (d) Mundans eam lavacro aquæ in verbo, ita fit ut recte et apposite definatur baptismum esse sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Naturam enim ex Adamo filii ira nascimur, per baptismum vero in Christo filii misericordia renascimur; siquidem dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, iis (e) qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Qua ratione fiat baptismi sacramentum.

VI. Sed quibuscumque tandem verbis baptismi naturam explicari contigerit, docendus erit populus, hoc sacramentum conlici ablutione, cui ex

(a) Rom. 6, 3 et d. — (b) S. Dion. de Eccl. hier. c. 2.
— (c) Joan. 3, 5. — (d) Ephes. 5, 26. — (e) Joan. 1, 12,
15.

Domini Salvatoris (a) instituto, certa et solemnia verba necessario adhibentur, quemadmodum semper sancti Patres docuerunt, quod apertissimo illo divi Augustini testimonio demonstratur: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Aug. tract. 80 in Joan.

Error notandus.

Id vero eo diligentius monere oportebit, ne forte fideles in eum errorem inducantur, ut existiment, quod vulgo dici solitum est, aquam ipsam, que ad confidendum baptismum in sacro fonte asservatur, sacramentum esse; tunc enim sacramentum baptismi dicendum est, cum aqua ad ablutionem aliquem, additis verbis quæ a Domino instituta sunt, reipsa utimur. *Hac de re vid. Chris. Hom. 25 in Joan. Aug., lib. 6, contra Donatist., c. 25. Conc. Florent. et Trid. Item Augst. tract. 80, in Joan.*

Aqua naturalis, baptismi materia.

VII. Jam vero, quoniam singula sacramenta ex materia et forma constitui initio diximus, cum generatim de omnibus sacramentis ageretur; idcirco quæ utraque sit in baptismismo a pastoribus declarandum erit. Materiam igitur sive elementum hujus sacramenti, esse omne naturalis aquæ genus, sive ea maris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei, aut fontis, quæ sine ulla adjunctione aqua dici solet; nam et Salvator docuit: (b) Nisi quis renatus fuerit et aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei: et Apostolus inquit: (c) Ecclesiam lavacro aquæ mundatam esse. Et in beati Johannis Epistola scriptum legimus: (d) Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus,

(a) Matth. 28, 19. — (b) Joan. 3, 5. — (c) Eph. 5, 26. —
(d) 1 Joan. 5, 8.

aqua et sanguis. Quod etiam aliis sacrarum Litterarum testimonii comprobatur. Quod vero a Joanne Baptista dictum est, venturum esse Dominum, (a) qui baptizaret in Spiritu sancto et igne; id quidem nullo modo de baptismi materia intelligendum est, sed vel ad intimum Spiritus sancti effectum, vel certe ad miraculum referri debet, quod die Pentecostes apparuit, cum (b) Spiritus sanctus ex celo in Apostolos ignis specie delapsus est; de quo alio loco Christus dominus noster prædictis: (c) Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.

Materia baptismi in Veteri Testamento figurata.

VIII. Verum idem quoque a Domino tum figuris, tum prophetarum oraculis significatum esse, ex divinis Scripturis animadvertisimus. (d) Diluvium enim, quo mundus purgatus est, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, hujus (e) aquae figuram et similitudinem gessisse Apostolorum princeps in priori Epistola ostendit. Et (f) maris Rubri transitum ejusdem aqua significacionem habuisse divus Paulus ad Corinthios scribens, exposuit: Ut interim omittamus tum (g) Naaman Syri ablutionem, tum (h) probatica piscinae admirabilem vim et alia id genus multa, in quibus hujus mysterii symbolum inesse facile appareat.

Materia baptismi a prophetis prænuntiata.

IX. De predictionibus autem dubitare nem-

(a) Matth. 5, 11. — (b) Act. 2, 3. — (c) Act. 1, 5.
(d) Gen. 6, 5. — (e) 1 Pet. 3, 20. — (f) 1 Cor. 10, 1.
(g) 4 Reg. 5, 14. — (h) Joan. 5, 2.

potest, quin aquæ illæ, ad quas tam liberaliter Isaías propheta (a) omnes sientes invitati; vel quas (b) e templo egressientes Ezechiel in spiritu vidit; tum præterea fons (c) ille, quem domui David habitantibus Jerusalem paratum in ablutionem peccatoris et menstruæ Zacharias prænuntiavit ad salutarem baptismi aquam indicandam atque exprimendam pertineant.

Cur aqua sit baptismi materia.

X. Quantum vero baptismi naturæ, et virtuti consentaneum fuerit ut eius propria materia aqua institueretur, pluribus quidem rationibus D. Hieronymus, (d) ad Oceanum scribens, demonstravit.

Ratio prima. — Sed quod ad hunc locum attinet, pastores docere imprimis poterunt, quoniam hoc sacramentum omnibus sine ulla exceptione ad consequendam vitam necessarium erat, idcirco aquæ materiam, que nunquam non presto est, atque ab omnibus facile parari potest, maxime idoneam fuisse.

Secunda. — Deinde aqua effectum baptismi maxime significat; ut enim aqua sordes abluit, ita etiam baptismo vim atque efficientiam, quo peccatorum maculae eluantur optime demonstrat.

Tertia. — Accedit illud, quod quemadmodum aqua refrigerans corporibus aptissima est, sic baptismus cupiditatum ardor magna ex parte restinguitur. *De materia baptis.* vid. Conc. Florent. et Trid. sess. 7, can. 2, et de Consecrat. dist. 4, item. D. Thom. p. 5. 5, 56, art. 5.

Chrisma in baptismo cur adhibendum.

XI. Illud vero animadvertisendum est quamvis aqua simplex, que nihil aliud admixtum habet,

(a) Isai. 55, 1. — (b) Ezecl. 47, 1. — (c) Zac. 13, 1.
(d) D. Hieronymus Epist. 85.

materia apta sit ad hoc sacramentum confiendum, quoties scilicet baptismi ministrandi necessitas insidat, tamen ex Apostolorum traditione (a) semper in catholica Ecclesia observatum esse, ut cum solemnibus cæremoniis baptismus conficitur, sacram etiam chrisma addatur, quo baptismi effectum magis declarari perspicuum est. Docendum quoque erit populus, etsi aliquando incertum esse potest utrum haec an illa vera aqua sit, qualem sacramenti perfectio requirat, hoc tamen pro certo habendum esse, nunquam ex alia materia quam ex aqua naturali liquore, baptismi sacramentum ulla ratione confici posse.

Baptismi forma cur diligenter et sèpius explicanda.

XII. Sed duarum partium ex quibus baptismus constare debet, postquam altera, hoc est materia, diligenter explicata fuerit, studebunt pastores eadem diligenter formam etiam tradere, que est altera eius pars maxime necessaria. In hujus autem sacramenti explicatione eo majori cura et studio elaborandum putabunt, quod tam sancti mysterii notitia non solum sua sponte fideles vehementer delectare potest, quod quidem in omni divinarum rerum scientia communiter evenit, verum etiam ad usus fere quotidianos summopere expetenda est. Cum enim saepè incident tempora, quemadmodum suo loco planius dicetur, in quibus tum ab aliis de populo, tum sepiissime a mulierculis baptismum ministriari oporteat: ita fit ut promiscue omnibus fidelibus ea que ad hujus sacramenti substantiam pertinent, cognita et perspecta esse debeant.

(a) Ambr., lib. 1, sacr. c. 2; et Innocent., lib. 2 Decret. tit. 1, cap. 3.

Baptismi forma statuitur et explicatur.

XIII. Quare dilucidis et apertis verbis quæ facile percipi ab omnibus possint, pastores docebunt hanc esse perfectam et absolutam baptismi formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ita enim a Domino et Salvatore nostro traditum est, cum Apostolus apud Matthaeum præcepit (a): Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ex illo autem verbo, baptizantes, catholica Ecclesia, divinitus edocta, optime intellexit in hujus sacramenti forma actionem ministri exprimendam esse: quod quidem sicut dicitur: *Ego te baptizo.* Ac quoniam praeter ministros tum illius personam qui baptizatur, tum principalem causam que baptismum efficit, significare oportebat: idecirco illud pronomen *te*, et distincta divinarum personarum nomina adduntur, ut absoluta sacramenti forma iis verbis concludatur, quæ modo exposita sunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Neque enim sola Filii persona, de quo a Joanne (b) scribitur: *Hic est qui baptizat, sed simul omnes sanctæ Trinitatis personæ ad baptismi sacramentum operantur.* Quod autem in nomine, non in nominibus, dictum est: hoc plane declarat unam Trinitatis naturam et divinitatem: etenim hoc loco nomen ad personas non refertur, sed divinam substantiam, virtutem et potestatem que una et eadem est in tribus personis significat. *Vid. Aug. contra Donatist. lib. 6, 25. D. Thom. p. 5, q. 66, art. 5.*

Formæ baptismi magis essentialia declarantur.

XIV. Sed in hac forma quam integrum, et per-

(a) Matth. 28, 19. — (b) Joan. 1, 35.

fectam esse ostendimus, observandum est quædam prorsus necessaria esse, quæ si omittantur, sacramentum confici non potest; quedam vero non ita necessaria, ut, si desint, sacramenti ratio non constet, cujusmodi est vox illa *ego*, cuius vis in verbo *baptizo* continetur, imo vero, in Ecclesiis Græcorum variata dicendi ratione, prætermitti consuevit: propterea quod nullam fieri oportere ministri mentionem judicarunt, ex quo factum est ut in baptismō hac forma passim utantur: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: a quibus tamen perfecte sacramenta ministrari, ex concili Florentini sententia et definitione appetat, cum iis verbis satis explicetur id quod ad baptismi veritatem attinent, nimirum ablutio, quæ tunc re ipsa peragitur.*

*In nomine Christi cur olim baptizarint
Apostoli.*

XV. Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, cum (a) Apostoli in nomine tantum Domini Iesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus sancti aflatū eos fecisse, exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesie Iesu Christi nomine prædictio illustrior fieret, divinaque et immensa ejus potestas magis celebraretur. Deinde vero rem penitus introspicentes, facile intelligemus nullam earum partium in ea forma desiderari, quæ ab ipso Salvatore præfcriptæ sunt: qui enim Iesum Christum dicit, simul etiam Patris personam, a quo unctus et Spiritum sanctum quo unctus est, significat.

(a) Act. 2, 38, et 8, 16, 10, et 48, et 19, 5.

*Certum non est Apostolos baptizasse in nomine
Christi.*

XVI. Quanquam dubium fortasse videri potest, an hujusmodi forma Apostoli aliquem baptizaverint, si (a) Ambrosii et (b) Basilii, sanctissimorum et gravissimorum Patrum auctoritatēm sequi volumus, qui ita baptismum in nomine Iesu Christi interpretati sunt, ut dixerint, iis verbis significari baptismum non qui a Joanne, sed qui a Christo Domino traditus esset, tametsi a communī et usitata forma, que distincta trium personarum nomina continent, Apostoli non discederent. Atque hoc loquendi genere Paulus etiam in Epistola ad Galatas usus videtur, cum inquit: (c) *Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis, ut significaret in ideo Christi, nec alia tamen forma, quam idem Salvator et Dominus noster servandam præceperat, baptizatos esse.*

*Triplex genus ablutionis, mersio, infusio,
aspersio.*

XVII. Hactenus igitur de materia et forma, quæ ad baptismi substantiam maxime pertinent, fideles docere satis fuerit. Quoniam vero in hoc sacramento confidiendo, legitimæ etiam ablutionis rationem servari oportet; idecirco ejus quoque partis doctrina a pastoriibus tradenda est, atque ab eis breviter explicandū communī Ecclesie more et consuetudine receptum esse, ut baptismus unus aliquo ex tribus modis confici posset; namquic hoc sacramento initiari debent, vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aqua aspersione tinguntur. Ex his autem ritibus qui-

(a) Ambr., lib. 1, de Spiritu sancto, c. 3. — (b) Basil., lib. 1, de Spiritu sancto, c. 12. — (c) Gal. 3, 27.

cumque servetur, baptismum vere perfici credendum est. Aqua enim in baptismo adhibetur ad significandam animae ablutionem quam efficit; quare baptismus ab Apostolo (*a*) *lavacrum* appellatus est. Ablutio autem non magis fit, cum aliquis aqua mergitur, quod diu a primis temporibus in Ecclesia observatum animadvertisimus, quam vel aqua effusione, quod nunc in frequenti usu positum videmus, vel aspersione, quemadmodum a Petro factum esse colligitur, cum uno die (*b*) tria milia hominum ad fidei veritatem traduxit et baptizavit. Utrum vero unica an trina ablutio fiat, nihil referre existimandum est. Utrovis enim modo et antea in Ecclesia baptismum vere confectum esse et nunc confici posse, ex divi Grogorii Magni Epistola (*c*), ad Leandrum scripta, satis appareat. Retinendum est tamen a fidelibus iuris, quem unusquisque in sua ecclesia servari animadverterit.

Tria maxime notanda.

XVIII. Atque illud præcipue monere oportet, non quamlibet corporis partem, sed potissimum caput, in quo omnes tum interiores cum externi sensus vigent abluendum, simulque ab eo, qui baptizat, non ante, aut post ablutionem verba sacramenti, quæ formam continent, sed eodem tempore quo ablutio ipsa peragitur, pronuntianda esse.

Baptisma institutum et præceptum quando.

XIX. His expositis, convenient præterea docere atque in memoriam fidelium reducere, baptismum quemadmodum et reliqua sacramenta, a Christo

(*a*) Eph. 5, 25. — (*b*) Act. 2, 41. — (*c*) Greg. lib. 2, regist. Epist. 41.

Domino institutum esse. Hoc igitur pastores frequenter docebunt, explicabuntque duodiversa tempora baptissimi notanda esse, alterum, cum Salvator eum instituit, alterum, cum lex de eo suscipiendo sancta est. Ac quod ad primum attinet, tunc a Domino hoc sacramentum institutum esse perspicitur, cum ipse a Joanne baptizatus sanctificandi virtutem aquæ tribuit. Testantur enim sancti Gregorius Nazianzenus (*a*), et Augustinus (*b*), eo tempore aquæ vim generandi in spiritualem scilicet vitam datam esse. Et alio loco ita scriptum reliquit: Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluunt aqua. Et alio: baptizatur Dominus, non mundari indigens, sed tactu mundæ carnis aquas mundans, ut vim abluendi habent. Atque ad eam rem illud maximo argumento esse potuit, quod tunc sanctissima Trinitas, in cuius nomine baptissimus conficitur, numen suum praesens declaravit (*c*). Vox enim Patris auditæ est, Filii persona aderat, et Spiritus sanctus in columbæ specie descendit; præterea cœli aperti sunt, quo nobis jam per baptismum licet ascendere.

Corporis Christi tactu aquæ sanctificatæ.

XX. Quod si quis scire cupiat, quanam ratione tanta et tam divina virtus a Domino aquis tributa sit, id quidem humanam intelligentiam superat. Hoc vero satis percipi a nobis potest, baptismo a Domino suscepto, sanctissimi et purissimi ejus corporis tactu aquam ad baptissimi salutarem usum consecratam esse, ita tamen ut hoc sacramentum, etsi ante passionem institutum fuerit, a passione

(*a*) Greg. Orat. in nat. Salvat. circa finem. — (*b*) August. Serm. 29, 36 et 37, de Temp. — (*c*) Matth. 3, 16, 17. Marc. 1, 10, 11. Luc. 3, 21, 22.

tamen, quæ omnium Christi actionum tanquam finis erat, vim et efficientiam duxisse, credendum sit. *Vid. Hier. in comm. in 5 cap. Math. Aug. Serm. 36, de Temp.*

Baptismus quando capitur esse de præcepto.

XXI. Sed de altero etiam, quo scilicet tempore lex de baptismio lata fuerit, nullus dubitandi locus relinquitur; nam inter sacros scriptores convenit, post Domini resurrectionem cum Apostolis præcepit: (a) Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; ex eo tempore omnes homines, qui salutem aeternam consecuturi erant, lege de baptismio teneri ceperisse. Quod quidem ex Apostolorum principis auctoritate colligitur, cum inquit: (b) Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis; idemque ex illo Pauli loco: (c) Se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificare (cum de Ecclesia loqueretur), mundans eam lavacro aquæ in verbo, licet cognoscere: uterque enim baptismi obligationem ad tempus quo mortem Domini consecutum est, videtur retulisse, ut dubitandum nullo modo sit, verba etiam illa Salvatoris: (d) Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei, id ipsum tempus spectasse, quod post passionem futurum erat. Ex iis igitur, si accurate a pastoribus tractentur, haud dubium esse potest quin fideles maximam in hoc sacramento dignitatem agnoscent, ac summa animi pietate venerentur, praesertim vero cum cogitarent præclara illa et amplissima munera, quæ cum Christus Dominus baptizaretur, miraculorum si-

(a) Marc. 16, 15. Matth. 28, 19. — (b) 1 Petr. 1, 5. —
(c) Eph. 5, 26. — (d) Joan. 3, 5.

gnificationibus declarata sunt singulis, cum baptizantur, intima Spiritus sancti virtute donari, atque impertiri. Ut enim si quemadmodum (a) Elisei pueru contigit, nobis oculi ita aperiuntur, ut celestes res intueri possemus, nemo adeo communis sensu carere putandus esset, quem divina baptismi mysteria in maximam admirationem non traduceren, cur idem etiam eventurum non existimemus, cum a pastoribus hujus sacramenti divitiae ita exposita fuerint ut eas fideles si non corporis oculis at mentis acie, fidei splendore illuminatae, contemplari queant.

Ministri baptismi sunt in triplici ordine.

XXII. Jam vero, a quibus ministris hoc sacramentum, conficiatur, non utiliter modo, sed necessario tradendum videtur: tum ut ii, quibus præcipue hoc munus commissum est illud sancte et religiose curare studeant: tum ut ne quis, tanquam fines suos egressus, in alienam possessionem intempestive ingrediatur, vel superbe irrumpat, cum in omnibus (b) ordinem servandum esse Apostolus admoneat.

Episcopi et sacerdotes ex potestate.

Doceantur igitur fideles, triplicem esse eorum ordinem, ac in primo quidem episcopos et sacerdotes collocandos esse, quibus datum est, ut jure suo, non extraordinaria aliqua potestate, hoc munus exerceant: iis enim in Apostolis præceptum est a Domino: (c) Euntes baptizate, quamvis episcopi, ne graviore illam docendi populi curam deserere cogerentur, baptismi ministerium sacerdotibus relinquare soliti essent. Quod vero sacerdos jure suo hanc functionem exerceant,

(a) 4 Reg. 6, 17. — (b) 1 Cor. 14, 10. — (c) Matth. 23, 10.

ita ut, præsente etiam episcopo, ministrare bapti-
sum possint, ex doctrina (a) Patrum et usu Ec-
clesie constat: nam cum ad Eucharistiam conse-
crandam instituti sint, qua est (*b*) pacis et uni-
tatis sacramentum, consentaneum fuit potestatem
iis dari omnia illa administrandi per quæ neces-
sario hujus pacis et unitatis quilibet particeps
fieri posset. Quod si aliquando Patres sacerdotibus,
sine episcopi venia baptizandi jus permisum
non esse dixerunt, id de eo baptismo, qui certis
anni diebus solemnè cæremoniæ administrari con-
sueverat, intelligendum videtur.

Diconi ex concessu.

Secundum ministrorum locum obtinent diaconi,
quibus sine episcopi, aut sacerdotis concessu,
non licere hoc sacramentum administrare plu-
rima sanctorum Patrum decreta testantur. *Dis-
tinct. 93. c. 13.*

Qualibet alia persona in necessitate.

Extremus ordo illorum est qui, cogente ne-
cessitate, sine solemnibus cæremoniis baptizare
possunt; quo in numero sunt omnes, etiam de
populo, sive mares sive feminæ, quamcumque illi
sectam profeantur, nam et judeis quoque, et
infidelibus, et haereticis, cum' necessitas cogit,
hoc munus permisum est, si tamen id efficiere
propositum eis fuerit, quod Ecclesia catholica
in eo administrationis genere efficit. Hæc autem
cum multa veterum Patrum et conciliorum de-
creta confirmarunt, tum vero a sacra Tridentina
Synodo anathema in eo sanctum est, qui dicere
audeant baptismum, qui etiam datur ab haereticis
in nomine Patris, et Fili, et Spiritus sancti, cum

(a) Ibid. lib. 2 de Offic. Eccles. c. 4.—(b) 1 Cor. 10; 47.

intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse
verum baptismum. *Trident.*, sess. 7, can. 4, de
Consec. dist. 4, c. 24. *Aug. lib. 7, contra Donatist.*
c. 31 et *ibid. lib. 5.* c. 40, et *lib. 2, contra Par-*
men., et *Concil. Lat. c. 1, et Conc. Florent. in*
decr. Eugenii.

Cur omnibus sit licitum baptizare.

XXXIII. In quo perfecto summam Domini nostri
bonitatem et sapientiam licet admirari: nam cum
hoc sacramentum necessaria ab omnibus perci-
piendum sit: quemadmodum aquam ejus mate-
riam instituit, qua nihil magis commune esse
potest, sic etiam neminem ab ejus administra-
tione exclusi voluit, quamvis, ut dictum est, non
omnibus licet solemnè cæremoniæ adhibere,
non quidem quod ritus, aut cæremoniæ plus di-
ginitatis, sed quod minus necessitatis, quam sa-
cramentum, habeant.

*In ministris baptissimi quis ordo sit observan-
dus.*

XXXIV. Neque vero hoc munus ita omnibus pro-
misue permisum esse fideles arbitrentur, quin
ordinem aliquem ministrorum statuere maxime
deceat; mulier enim, si mares adsint, laicus item
presente clero, tum clericus coram sacerdote
baptissimi administrationem sibi sumere non de-
bent. Quanquam obstetrices, que baptizare con-
sueverunt, improbandæ non sunt si interdum,
presente aliquo viro qui hujus sacramenti con-
ficiendi minime peritus sit, quod alias viri magis
proprium officium videretur, ipse exequantur.

*Patrinorum antiquus usus, varia nomina,
et necessitas.*

XXXV. Accedit autem ad eos ministros, qui, ut
haec tenus declaratum est, baptismum conficiunt,

aliud etiam ministrorum genus, qui ad sacram et salutarem ablationem celebrandam ex vetustissima catholice Ecclesia consuetudine adhiberi solent, ii nunc patrini, olim susceptores, sponsores seu fideiussores, communī vocabulo, a rerum divinarum scriptoribus vocabantur : (a) De quorum munere, quoniam ad omnes fere laicos pertinet, accurate a pastoribus agendum erit, ut fideles intelligent qua potissimum ad illud recte perficiendum necessaria sint. Imprimis vero explicare oportet quæ causa fuerit, cur ad baptisnum præter sacramenti ministros, patrini etiam et susceptores adjungerentur, quod quidem optimo jure factum esse omnibus videbitur, si meminerint baptismum esse spiritualem regenerationem, per quam filii Dei nascimur; de ea enim ita loquitur divus Petrus : (b) Sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscere. Ut igitur postquam aliquis in hanc lucem editus est, nutrice et pædagogæ indiget quorum ope atque opera educetur ac doctrina et bonis artibus eruditatur. Ita etiam necesse est ut qui ex baptismo fonte vitam spiritualem vivere incipiunt, aliquius fidei et prudentiae committantur, a quo christianæ religionis præcepta haurire ad omnemque pietatis rationem institui possint, atque ita paulatim in Christo adolescere : donec tandem viri perfecti, juvante Domino, evadant: cum præsertim pastorebus, qui publice parochiarum curationi præpositi sunt, tantum temporis non supersit, ut privatam illam curam pueros in fide erudiendi suscipere possint. Hujus autem vetustissimæ consuetudinis præclarum testimonium a divo Diony-

(a) Tertul. lib. de Bapt. c. 18, et de Coron. milit. c. 5.
— (b) 1 Petr. 2, 2.

sio (a) habemus, cum inquit : Divinis nostris dubibus (sic enim Apostolos vocat) in mentem venit et visum est suspicere infantes secundum istum sanctum modum, quod naturales parentes pueri eum cuidam doceo in divinis, veluti pædagogo, traderent; sub quo sicut divino patre et salvacionis sancto susceptore, reliquum vita puer degeneret. Eamdem vero sententiam confirmat Hygini auctoritas. *Habetur de Consecr. dist. 5, c. 100, et Leo pp., ib. c. 101 et Cone. Mogunt., ibid. 101, et 50 q. 1.*

Quænam et inter quos affinitas in baptismo contrahatur.

XXVI. Quamobrem sapientissime a sancta Ecclesia constitutum est ut non solum is qui baptizat cum baptizato, sed etiam susceptor cum eo quem suscipit et cum ejus veris parentibus affinitate devinciantur; ita ut legitima nuptiarum federa inter hos omnes iniri non possint, atque inita dirimantur.

Ad quid teneantur patrini.

XXVII. Præterea docere oportet fideles quæ sint susceptoris partes. Etenim hoc munus adeo negligenter in Ecclesia tractatur, ut nudum tantum hujus functionis nomen relictum sit: quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem homines videntur. Hoc igitur universæ susceptores semper cogitent se hac potissimum lege obstrictos esse, ut spirituales filios perpetuo commendatos habeant: atque in iis, quæ ad christianæ vita institutionem spectant current diligenter, ut illi tales se in omni vita præbeant, quales eos futuros esse solemní cærenonia sponderunt.

(a) Dionysius, de Eccles. hier. c. 7, parte 5.

Audiamus quid ea de re sanctus Dionysius (*a*) scribat, verba sponsoris exprimens : Spondeo puerum inducturum cum ad sacram intelligentiam venerit, sedulis adhortationibus meis, ut abrenuntiet contrariis omnino profiteatur, per agatque divina quæ pollicetur. Item divus Augustinus : (*b*) Vos, inquit, ante omnia tam viros quam mulieres, qui filios in baptismate suscepistis, moneo ut cognoscatis fidejussores apud Deum existisse pro illis quos visi estis de sacro fonte suspicere. Ac profecto decet maxime eum, qui aliquod officium suscepit in eo diligenter exsequendo nunquam defatigari; et qui se alterius paedagogum et custodem professus est, minime pati illum esse desertum, quem semel in fidem et clientelam suam recepit, donec illum opera et praesidio suo egere intellexerit. Quæ autem filii spiritualibus tradenda sunt paucis divus Augustinus (*c*) comprehendit, cum de hoc ipso susceptorum officio loqueretur; inquit enim: Debent eos admonere ut castitatem custodian, justitiam diligent, charitatem teneant; et ante omnia Symbolum et orationem Dominicam eos doceant, Decalogum etiam et quæ sint prima christianaæ religionis rudimenta.

Quinam in patrinos non assumendi.

XXVIII. Quæ cum ita se habeant, facile intelligimus cuinam hominum generi sancte hujus tutelæ administratio committenda non sit, nimirum *ii.* qui eam gerere aut fideliter nolint aut sedulo et accurate non queant. Quocirca præter naturales parentes, quibus non licet eam cura-

(*a*) Loco sup. cit. — (*b*) D. Aug. Serm. 165, de Temp. et Serm. 215. — (*c*) Serm. 165, de Temp. de cons. dist. 4, c. 120.

tionem suscipere, ut ex eo magis appareat, quantum hac spiritualis educatio a carnali distet; hæretici imprimis judæi, infideles ab hocomunere omnino prohibendi sunt, ut qui in ea cogitatione et cura semper versentur, ut fidei veritatem mendacis obscurant, atque omnem christianam pietatem evantur. 30 q. 1, c. 1. D. Thon. p. 5, q. 67, art. 8, ad 2, ex Mogunt. Concil. de consec. dis. 4, c. 102.

Patrini quo assumenti.

XXIX. Plures quoque ne baptizatum de baptismo suscipiant, sed ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una, Tridentino Concilio statutum est; tum quia disciplina atque institutionis ordo a multitudine magistrorum perturbari poterat, tum quia providere oportebat ne inter plures ejusmodi affinitates conjungantur, quæ impedit quominus legitimo matrimonii vinculo hominum inter homines societas latius diffundetur. *De Cons. dist. 4, c. 101, et Concil. Trid. sess. 14, c. 2 de Refor. matrin.*

Lex baptismi suscipiendi omnibus a Domino posita est.

XXX. Sed cum ceterarum rerum cognitio quæ hactenus exposita sunt, fidelibus utilissima habenda sit: tum vero nihil magis necessarium videri potest, quam ut doceantur omnibus hominibus baptismi legem a homino prescriptam esse, ita ut nisi per baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam et interitum, a parentibus sive illi fideles, sive infideles sint, procreantur. Igitur sepius a pastoribus explicandum erit quod apud Evangelistam legitur: (*a*) Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest in-

(*a*) Joan. 3, 5.

troire in regnum Dei. *De his vide Clem. pp. Ep. 4 in med. Aug. in Joan. tract. 45 et de Eccl. iognat. c. 14. Amb. de iis qui myst. initiantur; 4. Concil. Lateran. c. 1. Trid. sess. 7. can. 51.*

Infantes baptizandos esse probatur.

XXXI. Primo. — Quam legem non solum de iis qui adulta aetate sunt, sed etiam de pueris infantibus intelligendam esse, idque ab apostolica traditione Ecclesiae accepisse communis Patrum sententia et auctoritas confirmat.

Secondo. — Præterea credendum est, noluisse Christum Dominum baptismi sacramentum et gratiam pueris denegari de quibus dicebat : (a) Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire : talium est enim regnum celorum; quos amplexabatur, super quos (b) manus imponebat, quos benedicebat.

Tertio. — Deinde, cum legimus, (c) totam aliquam familiam a Paulo baptizatam esse, satis appareat pueros etiam qui in illorum numero erant, salutari fonte ablutos esse.

Quarto. — Deinde circumcisio, que figura fuit baptismi, eum morem maxime commendat. Pueros enim (d) octavo die circumcidit solitos, nemo est qui ignoret. A quibus (e) circumcisio manufacta in expoliatione corporis carnis proderat, iisdem baptismum, qui est circumcisio Christi, non manufacta prodesse perspicuum est.

Quinto. — Postremo, ut Apostolus docet, (f) si unus delicto mors regnabit per unum, multo magis abundantiam gratie et donationem justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum

(a) Matth. 19, 14. — (b) Marc. 10, 16. — (c) 1 Cor. 1, 16. Act. 16, 33. — (d) Gen. 21, 4. Lev. 12, 4. Luc. 4, 59 et 2, 21. — (e) Coloss. 2, 11. — (f) Rom. 5, 17.

Christum. Cum itaque per Adam peccatum pueri ex origine noxam contraxerint, multo magis per Christum Dominum possunt gratiam et justitiam consequi ut regnent in vita; quod quidem sine baptismio fieri nullo modo potest. *Conc. Trid. sess. 5 decret. de Peccato origin. et sess. 7 de Baptism. c. 12, 45 et 14. Dionsys. de Eccles. hier. c. 7. Cyprian. Ep. 59. Aug. Epist. 28 et lib. 1, de Peccat. merit. c. 23. Chrys. Hom. de Adam et Eva. Conc. Milevit. c. 2. et de Consec. dist. 4, passim.*

Pueri baptizati quomodo educandi.

XXXII. Quare docebunt pastores infantes omnino baptizandos, et deinde paulatim teneram aetatem christianaæ religionis praecptis ad veram pietatem in formandam esse; nam ut a Sapiente praecitate dictum est (a) : Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

Infantes in baptismo qua ratione fidem recipient.

XXXIII. Neque enim dubitare licet quin fidei sacramenta, cum abluuntur accipiant; non quia mentis sue assensione credant, sed quia parentum fide, si parentes fideles fuerint; sin minus fide (ut divi Augustini (b) verbis loquamur) universæ societatis sanctorum muniantur : etenim ab iis omnibus recte dicimus eos baptismo offerri, quibus placet ut offerantur et quorum charitate ad communionem sancti Spiritus adjunguntur.

Infantes in ecclesiis deferendi et baptizandi.

XXXIV. Hortandi autem sunt magnopere fideles ut liberos suos, quamprimum id sine periculo facere liceat ad Ecclesiam deferendos et solemnibus cæremoniis baptizandos curent : nam cum

(a) Prov. 22, 6. — (b) Ep. 25 ad Bon.

pueris infantibus nulla alia salutis comparandæ ratio nisi eis baptismus præbeatur, relicta sit, facile intelligitur quam gravi culpa illi sese obstrin-gant, qui eos sacramenti gratia diutius quam necessitas postulet, carere patiuntur; cum præsertim propter etatis imbecillitatem infinita pene vitæ pericula illis impendant. Aug. lib. 5, de Orig. animz, c. 9, et lib. de Pecc. merit. et Ep. 28, c. 1.

Adulti ad baptismum præparandi et invitandi sunt.

XXXV. Diversam vero rationem in iis servandan-
dam esse qui adulta ætate sunt et perfectum rationis usum habent, qui scilicet ab infidelibus oriuntur, antiquæ Ecclesie consuetudo declarat; nam christiana quidem fides illis proponenda est, atque omni studio ad eam suscipiendam cohortandi, alliciendi, invitandi sunt.

Primo. — Quod si ad Dominum Deum conver-tantur, tum vero monere oportet ne ultra tempus ab Ecclesia prescriptum, baptismi sacramentum differant: nam cum scriptum sit. (a) Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, docendi sunt, perfectam conversionem in nova per baptismum generatione positam esse.

Secundo. — Præterea, quo serius ad baptismum veniunt, eo diutius sibi carentum esse cæterorum sacramentorum usu et gratia, quibus christiana religio colitur, cum ad ea sine baptismo nulli aditus patere possit.

Tertio. — Deinde etiam maximo fructu privari, quem ex baptismo percipimus siquidem non solum omnium scelerum que antea admissa sunt maculam et sordes baptismi aqua prorsus eluit

(a) Eccle. 5, 8.

ac tollit, sed divina gratia nos ornat; cuius ope et auxilio in posterum etiam peccata vitare possumus justitiamque et innocentiam tueri, qua in re summam christianæ vite constare, facile omnes intelligent. Tertull. lib. de Pax. cap. 6, et de Prescript. cap. 41. Cyp. Epist. 15, de Consec. dist. 4, c. 64 et 65. Aug. lib. de Fide et Operib. c. 9.

Cur adultis baptismum differre soleat Ecclesia.

XXXVI. Sed quamvis hæc ita sint, non consuevit tamen Ecclesia baptismi sacramentum huic hominum generi statim tribuere, sed ad certum tempus differendum esse constitutum.

Prima ratio. — Neque enim ea dilatio periculum, quod quidem pueris imminere supra dictum est, conjunctum habet; cum illis qui rationis usu prediti sunt, baptismi suscipiendi propositum atque consilium et mala actæ vitæ poenitentia sa-
fus futura sit ad gratiam et justitiam, si repenitens aliquis casus impedit, quominus salutari aqua ablui possint.

Secunda ratio. — Contra vero hæc dilatio ali-
quas videtur utilitates afferre.

Primum utile. — Primum enim, quoniam ab Ecclesia diligenter providendum est, ne quis ad hoc sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas, qui baptismum petunt, magis exploratur atque perspicitur: cuius rei causa in antiquis concilii decretum legimus, ut qui ex iudeis ad fidem catholicam veniunt, antequam baptismus illis administretur, aliquot menses in-
ter catechumenos essent.

Secundum. — Deinde in fidei doctrina, quam profundi debent et christiane vite institutionibus erudiuntur perfectus.

Tertium. — Præterea major religionis cultus sa-